



~~11-58.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. MDLCCCLXIII.

R. D. B. V.

54

GYMNASH ZITTAVIENSIS

PATRONOS & FAUTORES

decenter invitat

M. Godofredus Hoffmannus, Rector,

ad

benignè audiendas

VALEDICTORIAS,

quas

duo ingenui Juvenes,

Fratres germani,

JOHANNES ANTONIUS

&

CONRADUS FRÜSMARUS

LINGII,

Jeverâ-Frisii,

in

ACADEMIAM

è

GYMNASIO ZITTAVIENSI

dimittendi,

An: M DCCXI d. Maj. hor: IIX. matur.

publicè habere

constituerunt.

ZITTAVIÆ.

Typis Michaelis Hartmanni.



Ad
Admodum Reverendum
DN. M. JOH. BERNHARDUM
LINGIUM,
Jeverâ-Frisium,
Pastorem Ecclesiæ in vico Wievelesensi
benè meritum,
EPISTOLA
M. Godofr. Hoffmanni,
Rect. Gymn. Zitt.

Fautor & Amice Honoratissime.



Isisti ad me par Filiorum, qui secum tulerunt vires & animum
quæq; bona discendi, primùm in paternis ædibus, pòst per se-
ptem annos à Scholæ Jeverensis fidissimis Præceptoribus, Dn.
M. *Gertmanno*, Rectore, & Dn. *Faselio*, Con-Rectore, satis dextrè
præparati. Laubam veniebant an: M DCCIIIX. d. 3. April, cur-
ta quidem suppellectile instructi, magna tamen fiducia pleni,
futurum, ut Exterorum beneficentia suppleret, quæ paternarum ædium denega-
verat penuria. Neq; sua decipiebantur opinione; *Laubani* enim more suo, h. e.
benevole exceptos eosdem liberaliter habuerunt. Eodem anno me secuti Zittavi-
am plura hic invenerunt, quam speraverant. Major natu, Deo tam benignè auxi-
liante, facile irrepebat in animum & beneficentiam *Prænobilissimi nostri Prætoris*,
Dn. JOH. CHRIST. NESENI, Viri, ad quem hic loci fugiunt plurimi indi-
gentes Musarum alumni, quemq; Deus fortè vel ideo vult esse improlem, ut eò
plures & majores aliorum liberis beneficiendi vires habeat. Is hebdomadatim
quinq; diebus mensam, quam vocant, liberalem vel gratuitam largitus paternè
prospexit Filio tuo, dignus sane, quem precibus Tuis singulariter commendatum
habeas. Huic subjungas Dn. *Job. Henr. POSSELTUM*, Civem honestissim-
um atq; Literatum, qui, ut nunquam suas frustra pulsari fores patitur à pau-
per-

perculis advenis, ita etiam hebdomadatim binis diebus cibavit Filium tuum; ad
 quem præterea ab aliis quoque civibus ingenuis profecta fuerunt beneficia non
 pauca. Minor natu Filius non minora hic loci vitæ subsidia accepit à beneficiis
 incolis, præsertim à communi nostro literarum & scholasticæ Juventutis Patrono,
Prænobilissimo Dn. JOH. WILH. NESENO, Jcto & Consule maxime merito, & ab E-
 jus Sorore, honestissima B. Mölleri Vidua, Victum largiter prospicientibus; præter-
 ea ædes Dn. *Randigii, Kunathe*, aliorumque; expertus est sibi benignè adspiran-
 tes. Horum omnium Benefactorum nomina hic legi vel ideo æquum duxi, ut,
 qui inter Zittanos precibus tuis Deo præcipuè sint commendandi, intelligas. Cœ-
 terum ita se apud nos gesserunt *Tui*, ut facile fuerit in se Exterorum flectere ani-
 mos & reddere beneficos. Pietatis enim, modestiæ, verecundiæ, observantiæ ac
 obsequii studiosi ingenii vires sollicitè excoluerunt, quæque discendo, quibus ad
 academica expeditis tractanda Juvenem præparari posse cognoverant. Hinc præ-
 ter Latinitatis, Eloquentiæ & Logices culturam sectati etiam fuerunt alia studia
 Facultatum superiorum subsidiaria; *Major* lingvas sacras & rudimenta positivo-
 polemicæ Theologiæ cum Dicitis S. Scripturæ probantibus, *Minor* res ad Jura,
 quibus se addicturus est, propius spectantes, sibi firmiter imprimendo. Et cum
 noverint, tantum quem valere eruditione & vita, quantum lingua vel eloquen-
 tia; multum industriæ posuerunt in excolendo Oratoriæ studio, cujus etiam pu-
 blicè ediderunt specimina proprio Marte & ausu elaborata atque memoriter habi-
 ta. *Major* enim præterlapso anno disseruit, (1) de existentia Verbi divini ante
 tempora Moïsis, *Oratione latina*; (2) de modo diem Dominicam à Studioſa Ju-
 ventute dignè sanctificandi, *Orat. Lat.*: (3) die 29. Jul: in Natalem SERENISSI-
 MI PRINCIPIS AC DOMINI, JOHANNIS AUGUSTI, DOMINI SUI CLE-
 MENTISSIMI, *Orat. reut.*: (4) circa novi anni auspiciū de Statu Ecclesiæ
 Luth. præſenti, *Orat. lat.*: (5) de Præparatione ad S. Cœnam, cum ad hæc epula
 Juventus Scholastica esset ducenda, *Orat. germ.*; (6) de officio Juvenis in Aca-
 demiam dimittendi, ante abitum nonnullorum Candidatorum *Orat. Græcæ*.
Minor natu Fratri in hoc exercitationum genere minimè cedens publice sex Ora-
 tiones habuit, (1) de Monarchia prima, *lat.*: (2) de Monarchia secunda, *lat.*: (3)
 de Monarchia tertia, *lat.*: (4) in Natalem CLEMENTISSIMI SUÆ PATRIÆ
 PATRIS, SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, CAROLI WILHELMI,
ætuonico-ligatam; (5) de Statu Sveciæ moderno, *germ.*: (6) in memoriam
 Commilitonis cujusdem b. defuncti, *parentalem lat.* Nunc autem in Academi-
 am abituri ultimum publicè dicent Vale, suum quisque vitæ genus, vel Facultatem,
 cui se addicturus, pro virili dilaudando; atque ita fraternæ quædam contentione institu-
 ta,

ta, laudes memorabit (1) *Major natu THEOLOGIE*, (2) *Minor JURISPRUDEN-
TIE*. Cæterum ipsis post Valedictorias habitas publicè gratulabuntur è coetu Commi-
titionum duo bonæ itidem indolis Juvenes, & quidem (1) *Sermone Latino*, BERN-
HARDUS FRIDERICI, *Jeverâ-Frisius*, Conterraneus, Comes & Amicus Filio-
rum tuorum conjunctissimus, qui cum ipsis ad nos accessit, cum ipsis hic itidem
benè se gessit, discessurus nunc cum iisdem, nisi dilatio mediorem in Academia vi-
vendi è Patria mittendorum iter ejus in sequentem protruderet annum; (2) *orati-
uncula iterum latina*, CHRISTIANUS PHILIPPUS KRIEGER, *Zitaviensis*, cui
cum Filiis Tuis magna voluntatum & Studiorum intercessit conjunctio. His per-
actis proximo die recipient se Tui Wittebergam, spe freti, etiam ibi à Deo ipsis
conciliatum iri Patronos & Benefactores. Nec est, cur desperent de academicis
subsidiis, futuraq; Promotione sua. Jamjam enim CLEMENTISSIMI PATRIÆ
SUE PATRIS, SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, CAROLI WIL-
HELMI, providentissimam affulgere sibi Gratiam intellexerunt. Præterea satis
apertum est, quo animo & voluntate in ipsos sint, *Perillustris* Dn. Baro HAR-
JOACH. de CLOSTER, magnus ille Principis Anhaltini Minister & omnium Col-
legiorum Jeverens. Præses splendidissimus; *Summè Reverendus* Dn. FLOR-
BLEPPERBEIN/S S. Theol. D. venerabilis Consistorii Jeverâ-Anhaltini Consili-
arius, Superintendens & Pastor Prim. Ecclesiæ Jeverens. longè meritus; nec non
Nobilissimus Dn. JOH. CHRISTOPH. AMELOUNXEN, Jctus & Consul apud
Jeverenses benè meritus. Horum omnium Mecanatum Gratiam, Patrocinium,
juvandi & promovendi Promptitudinem ut summa veneratione & pietatis cultu
prosequuntur *nostri Lingui*; ita quicquid boni conferent in hos Juvenes, in gra-
tos atq; dignos collatum iri confidimus. Tibi vero, Vir optime, ex animo gra-
tulator de exoptatissimo precum & curarum tuarum successu, atq; precor, ut porro
desideriis paternis filiorum respondeat felicitas. Largiatur Deus ipsis ejusmodi
Docentes, qui Spiritu Sapientiæ atq; fidei impleti, quæ optima est, viâ sibi con-
creditos ducant, juveniles verò Discentium animos regat, ut Ductoribus, inpri-
mis verò ipsi Ductori certissimo se obsequentes præbeant, & quibuscunq; of-
fendiculis, in quæ infelicitè magnoq; suo cum damno tot alii dudum impegere,
prudenter vitatis, piè docti & doctè pii evadant. Faxit idem Vitæ & Salutis
nostre Autor et Director benignissimus, ut tandem Filii ex voto formati inter
amplexus paternos feliciter redeant, piæq; industriæ suæ, in Senectutis
tuae solatium & ornamentum, larga deportent præmia.

Vale! dab. *Zitavia d.* Maj. an:

M D C C X I.

Ung. VI 58. (1)

ULB Halle

3


002 686 287




56,

VD17
Sep. 2000 Pcl.







Q. D. B. V.
54
GYMNASII ZITTAVIENSIS
PATRONOS & FAUTORES
decenter invitat
M. Godofredus Hoffmannus, Rector,
ad
benignè audiendas
VALEDICTORIAS,
quas
duo ingenui Juvenes,
Fratres germani,
JOHANNES ANTONIUS
&
CONRADUS FRÜSMARUS
LINGII,
Jevera^A-Frisii,
in
ACADEMIAM
è
GYMNASIO ZITTAVIENSI
dimittendi,
An: M DCCXI d. Maj. hor: IIX. matut.
publicè habere
constituerunt.

ZITTAVIÆ.
Typis Michaelis Hartmanni.